



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitate, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

iiij. An priuetur, qui occidit inimicum pro missione facta de non
offendendo? Vbi etiam de amico reconciliato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Aduersariis concedunt, & dicitur *infra* sect. 5. ergo neque priuabitur, si occidat inimicum veneno, cum utrobique occidat hominem incautum.

Itaque non priuabitur immunitate (maximè post Constitutionem Gregorij XIV.) quantumcumque quis per insidias inimicum occidat, siue cum occidat veneno, siue in somnis, siue per sclopus à fenestra, vel à tergo, quia non quacumque insidiæ immunitate priuant, sed solum insidiæ, quæ constituunt propriè prodicionem, id est, quæ sub colore amicitia sunt, cum solum (maximè post Constitutionem Greg. XIV.) ab immunitate excludatur proditoriè occidens: at stante inimicitia, ut dicebam, insidiæ non constituunt propriè prodicionem, quia inimicus semper habet fundamentum sibi præcauendi, & sic imputare sibi debet si veneno, in somnis, vel alio modo incautus occidatur.

Quapropter, inquam, maximè post Constitutionem Gregorij XIV. immunitate priuatur tantum homicidium, quod fit sub colore amicitia, quia tunc est propriè proditorium; non autem, quod fit ab inimico, etiam per quascumque insidias; quia tunc propriè proditorium dici non potest. Atque ita declarauit Clemens VIII. per Breue ad Archiepiscopum Panormitanum die 6. Februar. 1597. & explicant Farinacius, Ambrosius, Peregrinus, Bonacina, Gratianus, Giurba, Castillo, Nouarius (qui subdit, quod salutationes ordinariæ, cum sint signa communia, non constituunt effectum amicitia, ita ut si quis in tali casu occidat, propriè proditor dici possit.) Sperellus, & alij citandi mox *infra* sect. 5.

SECTIO III.

An priuatur, qui occidit inimicum, promissione facta de non offendendo? Vbi etiam de amico reconciliato.

SUMMARIVM.

- 1 Occidens inimicum promissione, seu fideiussione data de non offendendo, priuatur immunitate; quia per dictam cautionem sublata fuit ab inimico omnis occasio sibi præcauendi, & sic occisor propriè Proditor censetur.
- 2 Opinio in contrarium est satis probabilis.
- 3 Homicidium propriè proditorium est, quod ab Amico nullo præcedente rancore, sed sub colore amicitia committitur.
- 4 Odium propter præcedentes inimicitias præsumi debet adhuc durare, non obstante promissione de non offendendo.
- 5 Occidens amicum reconciliatum, neque committit homicidium proditorium, & sic neque immunitate priuatur.
- 6 Amicus reconciliatus æquipollet Inimico, iuxta illud Inimico tuo ne credas in æternum.
- 7 Præsertim, si post reconciliationem noua inimicitiarum causa intercesserit.

Sequitur secundo, quod immunitate similiter priuatur, qui occidit inimicum, promissione, vel fideiussione facta de non offendendo, quia per talem promissionem, vel fideiussione sublata fuit inimico omnis occasio sibi præcauendi; & sic occisor propriè proditor censetur; cum deceptio contra fidem proditio videatur. Atque ita docent Farinacius lib. 2. consil. 168. num. 75. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. §. 25. Decian. lib. 7. cap. 26. num. 23. Giurba consil. 60. Barbosa de vniers. iure Eccles. cap. 3. num. 93. & Peregrinus

tract. de immunit. Eccles. cap. 7. num. 10. probans ex Syluestro, Angelo, Decio, Armilla, & Gigante, hunc propriè proditorem esse.

Quamvis contrarium, & satis probabiliter, doceant Antonius de Martinis *resolut. quotid.* cap. 274. & Diana *part. 4. tract. 1. resolut. 33.* ex eo, quod (ut *supra* dicebatur) homicidium propriè proditorium sit, quod ab amico, nullo præcedente rancore, sed sub colore amicitia, committitur, v. g. simul comedendo, commorando, in itinere deambulando, vel colloquendo, &c. quod in casu nostro non est (supponitur enim, quod post promissionem, vel fideiussione de non offendendo factam, non intercesserit stricta amicitia, simul scilicet, ut dicebam, comedendo, commorando, in itinere deambulando, vel colloquendo, &c.) sed potius oppositum, cum propter inimicitias præcedentes (licet intercesserit promissio, vel fideiussio de non offendendo) præsumi debeat, attentata nostra natura vitata, odium adhuc, quamvis valde turpiter, durare. Quapropter subdunt, & satis probabiliter etiam, in locis *supra* cit. quod qui occidit amicum reconciliatum, neque committat homicidium propriè proditorium, & sic neque immunitate priuatur; quia amicus reconciliatus æquipollet inimico, iuxta illud: Inimico tuo ne credas in æternum. Et ita fuisse decusum in Curia Archiepiscopali Neapolitana, testatur Riccius *part. 1. decis. 168. num. 2.* Vide etiam Ambrosium de immunit. Eccles. cap. 6. num. 1.

At quidquid sit de hoc, illud certum est, immunitate non priuari eum, qui inimicum (cum quo pacem inierat) noua inimicitiarum, vel occisionis causa post pacem, seu reconciliationem antea factam superueniente, occidit, quia in tali casu occisus non occiditur incautus, quandoquidem cogitare poterat de periculo mortis sibi inferendæ. Quomodo autem huiusmodi causa probari possit, tractat Farinacius *quest. 107. num. 435. & seqq.*

SECTIO IV.

An priuatur, qui occidit proditoriè infidelem.

SUMMARIVM.

- 1 Occidens propriè proditoriè Infidelem, gaudere non debet immunitate.
- 2 Infidelis venit propriè sub nomine nostri proximi, alioquin præceptum de diligendo Proximum non extendetur ad Infideles.
- 3 Hæretici, & Schismatici nobiscum in fide, & charitate non conueniunt, & tamen censentur nomine nostri Proximi.

Sequitur tertio, quod immunitate similiter priuatur, qui occidit propriè proditoriè infidelem, quia licet infidelis non communicet nobiscum in fide, in sacramentis, in Ecclesia, &c. tamen venit propriè sub nomine nostri proximi; alioquin præceptum de diligendo proximo non extendetur ad infideles, quod non est dicendum: ergo, &c.

Neque obstat, quod nobiscum non communicet in fide, Sacramentis, in Ecclesia, &c. aliis hæreticus etiam & schismaticus excludi possent à ratione proximi, cum nobiscum in fide & charitate non conueniant, quod absque dubio dicendum non est. Atque ita docent Farinacius in *append. de immunit. c. 8. num. 120.* Peregrinus de immunit. cap. 7. num. 15. & Marius Ital. de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 20. & 21. contra Ambrosium de immunit. cap. 7. num. 12. Dian. *part. 4. tract. 1. resolut.*